Fragmentarium

[C]onuocauit igitur dauid omnes principes
iſrahel. duces tribuum et prepoſitos turma-
rum. qui miniſtrabant regi. Tribunos quoque
et centuriones qui preerant ſubſtantie et
poſſeſſionibus regis. filiosque ſuos cum eunuchis.
et potentes et robuſtiſſimos quoſque in exercitu
iheruſalem. Cumque ſurrexiſſet rex. et ſtetiſſet: ait.
Audite me fratres mei et populus meus. Cogitaui
ut edificarem domum in qua requieſceret
archa federis domini. et ſcabellum pedum dei
noſtri. ad edificandum omnia preparaui. Deus
autem dixit mihi. non edificabis domum nomini
meo: eo quod ſis uir bellator. et ſanguinem
fuderis. Sed elegit dominus deus iſrahel me de uni-
uerſa domo patris mei. ut eſſem rex ſuper iſrahel in
ſempiternum. De iuda enim elegit principes. Porro
de domo iuda domum patris mei. Et de filiis
patris mei placuit ei ut me eligeret regem ſuper
cunctum iſrahel. ſed et de filiis meis. filios enim multos
dedit mihi dominus. elegit ſalomonem filium
meum. ut ſederet in throno regni domini ſuper
iſrahel. Dixitque mihi. ſalomon filius meus edificabit
domum meam. et altaria mea. Ipſum enim
elegit mihi in filium. et ego ero ei in patrem. et
firmabo regnum eius uſque in eternum. Si perſeue-
rauerit facere precepta mea et iudicia. ſicut et
hodie. Nunc ergo coram uniuerſo cetu iſrahel. audien-
te deo noſtro cuſtodite et perquirite cuncta man-
data domini dei noſtri. ut poſſideatis terram
bonam. et relinquatis eam filiis ueſtris poſt uos.
uſque in ſempiternum. Tu autem ſalomon fili
mi ſcito deum patris tui. et ſerui ei corde perfecto.
et animo uoluntario. Omnia enim corda ſcru-
tatur dominus. et uniuerſas mentium cogitatio-
nes intelligit. ſi queſieris eum inuenies; ſi autem
dereliqueris illum: proiciet te in eternum. Nunc
ergo quia elegit te dominus. ut edificares do-
mum ſanctuarii: confortare et perfice. Dedit autem
dauid ſalomoni filio ſuo deſcriptionem por-
ticus et templi et cellariorum. et cenaculi. et

necnon et omnium que cogitauerat atriorum et
exedrarum per circuitum in theſauros domus
domini. et in theſauros ſanctorum. Diuiſionumque
ſacerdotalium et leuiticarum in omnia opera domus
domini: et in uniuerſa uaſa miniſterii templi
domini. Aurum in pondere per ſingula uaſa mi-
niſterii. Argenti quoque ponderis pro uaſorum ac
operum diuerſitate. Sed et candelabra aurea. et
ad lucernas eorum aurum pro menſura uniuſ-
cuiuſque candelabri et lucernarum. Similiter et in
candelabris argenteis et in lucernis eorum pro
diuerſitate menſure ſimiliter et argentum in alias
menſas argenteas. Ad fuſcinulas quoque et fialas
et thuribula. ex auro puriſſimo. et leunculos
aureos pro qualitate menſure pondus diſtribuit
in leunculum et leunculum. Similiterque et in leo-
nes argenteos. diuerſum argenti pondus ſepa-
rauit. Altari autem in quo adolebatur incenſum
aurum puriſſimum dedit. ut ex ipſo fieret
ſimilitudo quadrige cherubim extendentium
alas ſuas. et uelantium archam federis domini.
Omnia inquit uenerunt ſcripta manu domini
ad me: ut intelligerem uniuerſa opera exemplaris.
Dixit quoque dauid ſalomoni filio ſuo. Viriliter
age et confortare. et fac ne timeas et ne pauea[s];
dominus enim deus meus tecum erit. et non di-
mittet. nec derelinquet te. donec perficias omne
opus miniſterii domus domini. Ecce diuiſio-
nes ſacerdotum et leuitarum in omne opus
miniſterii domus domini. adſiſtent tibi et para-
ti ſunt. et nouerunt tam principes quam populus
facere omnia precepta tua. Locutuſque eſt rex XXIX.
dauid ad omnem eccleſiam. Salomonem filium
meum unum elegit deus adhuc puerum et
tenellum. opus enim grande eſt. Neque enim
preparatur habitatio homini ſed deo. ego autem
totis uiribus meis preparaui impenſas domus
dei mei. Aurum ad uaſa aurea. et argentum
in argentea. Es in enea. ferrum in ferrea. lig-
na ad lignea. lapides onichinos. et quaſi ſtibinos.

889

License: public_domain – Leuven, Archief van de Abdij van Park, VIIIB20/7, VIIIB20/8, VIIIB20/9, VIIIB20/10, VIIIB20/11, VIIIB20/12, VIIIB20/13, VIIIB20/14, VIIIB20/15, VIIIB20/92, VIIIB20/94, VIIIB20/97, VIIIB20/98, VIIIB20/104, VIIIB20/115, VIIIB20/116, VIIIB20/117, VIIIB20/164, VIIIB20/183, VIIIB20/94, fol. [2]v – Bible (https://fragmentarium.ms/view/page/F-bcyo/9157/68036)